

E P I S T O L Ā

libus præceptis ista sic institui, an contra qui de moribus leges tradunt ta-  
 lium exemplorū imitatione concinnare eas consueuissent. Vbi uerò de li-  
 teris incidisset mentio, de Historia, de Repub. tum certe omnia lōge maio-  
 ra deprehendi quā uel illi familiares mihi retulissent, uel ego in unius ho-  
 minis, qui non solis hisce studijs sese addixisset, cognitionem uenire posse  
 arbitrarer. Certè sic me ista tum oblectauit peregrinatio, ut longe suauius  
 uitam mihi duxisse hæctenus uisus sim. Cogitare persæpe soleo, quantum  
 hoc fit, Deorum interesse sodalitijs, cum mortaliū uirorum exempla adeo  
 excitare queant hominis animum. Sed & id cogito, aut omnino falsum esse  
 quod scriptores de nostris olim hominibus tradere consueuerunt, quando  
 humanas illis dotes adimere uidentur, aut ad priscam Germanorum gen-  
 tem, eam austeritatē ac morum scabritiem referendā, nunc autem desisse,  
 & cæterarum nationum exemplo humaniorem factam esse gentem. Sic sa-  
 uè mihi, istam peregrinationem sæpe repetenti, cum ipsis quoq; antiquis, si-  
 ue Græcorum siue Latinorum familijs, ea nostrorum humanitas certare  
 posse omnino uidetur. Ergo ut ostenderem me memorem eius adhuc ho-  
 spitalitatis, uisum est mihi repetendam esse apud te earum rerum memoriā.

*Μισω, inquit, Παρσημαστες, μὴ ἀμωνα συμποτήν.* Mihi non minus odio est, ὁ ἀμνη-  
*μονὸς ξείνος.* Cæterum dum nudam epistolam mittere parum operæ precium  
 uideretur, existimaui præclarum aliquem autorē illi adiiciendum, quādo tu  
 disciplinarum amatissimus Heros mihi esse tum cognitus es. Destinaui au-  
 tem librum cōtinentem, artem eam quæ uiris principibus & Heroibus sem-  
 per fuit quā gratissima, & per eos homines elaboratam expositamq; qui  
 apud nostros Reges ac principes fauore & autoritate plurimum ualuere.  
 Quorum tu Heros principum mores, cum in bonis literis adiuuandis per-  
 quā humaniter imiteris, in acceptandis quoq; hisce duobus  
 nominibus imitabere, quibus ego uti tertius adij-  
 ciar uehementer opto. Vale Basileæ

Calend. Septemb. Anno

M. D. XLIII.